



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Leonardvs Confess. 6. Novemb.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. LEONARDVS Confess.

6. Novemb.

*Pacem relinquo vobis, pacem meam  
do vobis non, quomodo mundus dat*  
Christus Matth. cap. 18.

**L**eonardus nobilissimo genere Gallus, in  
Aquitania natus, à S. Remigio, patrino  
Clodovæo Rege, sacris ablutus undis, aulae  
honores oblatos solitudini posthabuit, quâ  
ut amplissimâ frueretur, Rex Lemovicensis  
sylvæ magnam illi partem donavit: eam tem-  
plo à se Bmæ V. structo Leonardus, fonte pre-  
cibus excitato, suaque habitatione nobilita-  
vit, unde loco nomen Nobiliacum inditum.  
Neminem Sanctus hic nisi beneficiis devinxit,  
quos inter Gallia Rex præcipuè fuit, qui ejus  
precibus, soluta difficili parturitione conjuge,  
hæredem masculum obtinuit, quod antem  
manu sua Leonardus vincula præfert, osten-  
dit in manu sua fuisse catenis ærumnosos cri-  
pere, quod & privilegio Regis ei primitus in  
regno concessum est, & ut alibi idem prodigi-  
osè posset divinitus ei & in vita & post mor-  
tem singulari tributum fuit prærogativâ: hinc  
tot vincula & ferrei compedes, quibus aurei  
hujus

hujus Sancti templa onerantur & aræ solida  
collatæ libertatis anathema: sed & equorum  
soleæ ferreæ, templorum Divi valuis affixæ,  
firma sunt vestigia, quibus sospitorem e-  
quorum deprehendas, à Dominis ob rece-  
ptam jumentis ejus patrocinio sanitatem, hoc  
monimento passim in Germania cultum. A-  
deò sancti opiferi non dedignantur è cœlo vel  
jumentis mederi ut implorantium votis re-  
spondeant. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

*De miseris hujus mundi.*

1. **R**ara fides inter amicos, rara pietas inter pro-  
pinquos: ubique terrarum regnat fallacia, ubi-  
que dissimulatio: suæ quemque trahit voluptas; o-  
mnes quærunt quæ sua sunt; omnes honori serviunt.  
Cui ergò fidendum? heu? mundo fidimus, qui toties  
fefellit, & diffidimus Deo, qui semper fidelis fuit!

2. Pax nulla est in hoc mundo, quippe, qui totus in  
maligno positus sit. Homines hominibus bellum in-  
ferunt, imò Deus ipse quotidianis hominum crimini-  
bus appetitur. Expedi nos, Domine, mundano tu-  
multu, da nobis illam, quam mundus dare non potest  
pacem. Si mundum valere jusseris, cave, ne in Mo-  
nasterio mundanis nugis iterum capiaris; sin autem  
vinculis sæculi fueris irretitus, sanctos imitare, qui in  
mediis procellis pacatiorem vitam ducunt; quoniam  
non mundi, sed Christi spiritu aguntur.

3. Fuca-

3. Fucata sunt mundi bona (quæ miscet pocula, dulcia videntur) sed revera amara sunt, iisque accenditur, non extinguitur sitis. Quo quis pluribus abundat mundi bonis, eo pluribus abundat miseriis. Quid ergo mundum amamus ubi nulla fides, sed multæ infidix, ubi plebs primoribus, invidet, & primores plebem opprimunt? *Repudiemus mundum parum fidem, utrobique suspectum; subjacet contumelia minor, major invidia.* Eucher.

## S. ENGELBERTVS Episc.

7. Novemb.

*Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Christus Matth. cap. 18.

**C**Vnas vitam mortem, omnia in Engelberto præclara reperio, & digna insula Coloniensi, quam ille uti & libertatem Ecclesiæ etiam contra cognatum sanguinem (audiant utinam hæc illi, qui Christi patrimonia sua putant & in suos effundunt!) toto pectore propugnavit, ipsique adeo vitæ antehabuit. Neque enim alia ulla fuit causa Friderico Isenburgensi Comiti & patruo Engelberti, cur sub annum millesimum, ducentessimum & vigesimum quintum, immissis sicariis ex itinere

nepo.